



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

De aspirationibus, orationibusq[ue] iaculatoriis attinentibus ad viam  
Purgatiuam. Cap. VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

Sanctorum libris excerpta, ut vnusquisque  
conuenienter suæ dispositioni ad manum  
habeat orationes, quibus in hoc sancto ex-  
ercitio diuinæ præsentia queat ad Deum,  
aspirare. Neq; idcirco volo, ut his tantum  
utatur, poterit enim uti quibuslibet aliis  
similibus: sed id tantum moneo præstan-  
tiores efficacioresq; eas esse quas quisque à  
Deo motus ex corde suo exprimit, etiamsi  
non sint compositæ, sicut hæ. Nec item  
volo vsurpari omnes, liberum enim cuiq;  
est vsurpare quas velit. Et quamuis non sit  
nisi vna pro qualibet via, tamen, si crebri-  
us magno affectu iteretur, sufficere ad capi-  
endum huius sancti exercitii fructum. Fa-  
cile autem poterunt è memoria recitari, si  
sepius perlegantur & repetantur.

*De aspirationibus, orationibusq; iacula-  
toris attinentibus ad viam Pur-  
gatiuam.*

C A P. VIII.

**A**SPIRATIONES conuenientes viæ  
purgatiuæ sunt hæ. Domine Iesu Chri-  
ste, Deus meus & Saluator meus, qui ad  
saluandos peccatores in mundum, venisti,  
igno.

ignosce mihi, & salua me. O Deus meus, quid agam? quid dicā? peccaui coram te, & cōtrate benignissime creator, & dulcissime redemptor, miserere mei Domine. Agnosco Domine scelera mea, ea tibi confiteor, condona illa. Destitutus sum, Domine, omni pietate, vilissimus & infirmissimus peccator sum, nihil sum, nihil ex me valeo, adiuua me Domine, & miserere mei. Utinam, Domine, nunquam te offendissem. Utinam nunquam ad iram prouocassem. Utinam, Deus semper voluntati tuæ obediuissem, & sanctis tuis inspirationibus satisfecissem. Remoue à me, Domine, quicquid tibi displicet in me, & mihi nocet. Propono Domine, me adiuuante tua gratia te non amplius offensurum, occasionesq; delinquendi vitaturum. O piissime Iesu miserere mei miseri & abominandi peccatoris Indignus sum à terra sustentari, & me suscipe per tuam misericordiam ac sanctissimæ vitæ, passionisq; tuæ merita, nec non ob benedictæ matris tuæ sanctorumq; omnium intercessiones. Omnia scelera, & negligentias vitæ meæ, quæ sunt innumerabiles, & grauissimæ coniicio in tui immensi amoris flammis, & infinitam misericordie tuæ abyssum, in sacratissima tua vulnera,

vt in iis consumantur, mihi que pœnitentiam iniungo. Laua me Domine tuo pretiosissimo sanguine; quia vna gutta illius sufficit ad saluandum totum mundum. Sana me ab omnibus plagis meis, quia tu es fons salutis. Sanctifica me auctor sanctitatis. Deus meus largire mihi sanctum iudiciorum tuorum timorem. Concede mihi bone IESV dolorem & odium grande de meis peccatis. Da mihi odium mei ipsius. Da dulcissime mi Saluator robur ad mortificandas meas passiones. Da mihi, vt rectum iudicium de me feram. Da, vt seuerè à me exigam pœnas, ad satisfaciendum iustitiæ tuæ. Da mihi Saluator, vt quamcumque pœnam, tribulationem, contemptum libenter recipiam in satisfactionem pro meis delictis. Da, vt potius eligam mori, quam peccare. Da, vt non modo timeam, fugiamque peccata grauia, sed etiam Ieuia. Da mihi firmissimum propositum non amplius peccandi. Da mihi gratiam perseuerandi, & pœnitentiam tota vita mea agendi.

*De aspirationibus pertinentibus ad viam  
illuminatiuam pro iis qui in cultu  
diuino proficiunt.*

CAP.